

- mendat, & auxilium maturum anxius orat. Confirmat autem in hac breui precatone fiduciam suam duab. fortissimis appellationibus, quib. Dominum vocat cum *Deum*, tum *salutem suam*, dicens: *Domine Deus meus, & Domine salus mea*, Q. d. *Quem alium implorabo Domine? Tu es Deus meus, alium ignoro. Tu es salus mea: id est, Saluator meus: nemo est præterea qui succurrere queat.*
- OBS. 1.** Videmus isto & alijs aliquot Psalmis, quomodo sanctis suis Deus ignauiam ac desidiam morbis excutiat, & ad modestiam eos, delictorumq; agnitionem ac confessionem, ac gratiæ diuinæ implorationem exercent. Sunt enim & electi homines, & humana subinde patiuntur, vt & ipsis castigatio diuina necessaria existat.
- OBS. 2.** In eo quod versu 2. morbum suum, qui videtur fuisse pestiferum aliquod apostema, vocat *sagittam Dei*: admonemur, eiusmodi morbos non temerè cadere in mortalium corpora. Quis enim hoc derit Deo, vt sagittas temerè, inscius quò cadant emittat? Quid ergo illi faciunt, qui putant hunc morbum temerè in eos qui ægrotis seruiunt, sine omni prouidentia Dei ferri? Quid in speciem magis temerè fieri videtur, quàm cædēs bellica? Et tamen illa, quæ manibus hominum administratur, non est sine certa dispensatione Dei: vt videre est *Esaia 65.* (Numerabo vos, inquit, in gladio:) multò minus hic morbus, qui nullo humano ministerio infligitur. Deinde & hoc annotauerim. Quandoquidem Propheta agnouit in se sagittas Domini, quem gentium Apollinem aut quem Christianorum Sebastianum implorauit? An non ad eum sese conuertit, cuius in se sagittas sensit?
- OBS. 3.** In versu 3. & 4. obseruandum est, quomodo debeamus ex morbis peccatorum nostrorum & iræ Dei admoneri, imò non admoneri tantùm, sed intimis etiam medullis sentire magnitudinem cum iræ Dei, tum peccatorum nostrorum. Ad hoc omnium pulcherrimum & saluberrimum fuerit exercitium, quemuis corporis dolorem siue mentis angustiam, sensum peccatorum interpretari. Si caput dolet, dicamus: Premunt me peccata nostra: si tristitia quædam accidit, mox sit in ore: Adfligimur peccatis nostris.
- OBS. 4.** Versu 5. obseruatu dignum est, quòd iniquitates & peccata sua vocat *insipientiam*. Qua in re pulchrè admonemur, summam esse stultitiam, carnis indulgere affectibus: vt si hominis planè insipientis, illis obsequi, vel utile, vt iucundum, vel diuturnum putare. Insipientis est facere. vnde postea poenitendum sit Hoc faciunt qui peccant. Rursus si insipientia est delinquere contra Dominum: sequitur, caput sapientiæ esse timorem Domini, qui auocat à delinquendo.
- OBS. 5.** Quinto loco notandum est & hoc, quòd tam anxie deiectionem cum mentis tum corporis queritur: quod non apparet esse indicium animi patienter flagellum Domini ferentis, sed magis impotentem lugentis & conquerentis. Verùm ista simpliciter non sunt signa animi impij, nisi accedant alia quædam. Angustiam suam questus est & Christus, questi sunt illam & sancti quique: verùm ad Deum, non sine fide & spe diuini auxilij: id quod impij facere nesciunt.
- OBS. 6.** Versu 11. 12. & alijs, vbi queritur de amicis & inimicis, consolationem habent ij qui sentiunt rebus aduersis suorum perfidiam, & intelligunt esse verè inimicos, quos antea loco amicorum habuerant. Hoc plerunq; vsuuenit in magistratu constitutis, vt & hinc Dauidi.
- OBS. 7.** Versu 13. 14. & 15. vbi se comparat surdo ac muto, qui ita tacuerit ad fraudes inimicorum, & prauitatem falsorum amicorū, quasi mutus, aut tanti animi non fuerit, qui ausus sit iniquitatem ipsorum redarguere, cum esset illorum Rex, sed magis omnem hanc causam placuerit Deo committere, certa spe concepta, illum pro se responsurum esse: admonemur patientiæ & tolerantia, quam & Christus seruauit, de qua scriptum est: Sicut ovis coram tondente se tacebit, &c. Non quòd nonnunquam non sit respondendum malitiæ subdolorum, cum & Iob hoc fecerit, sed vt illud quàm modestissimè fiat. Tutius tamen est hoc præsens Dauidis exemplum.
- OBS. 8.** Quòd precatone, qua se fidei & auxilio Dei committit, Psalmum hunc querulosum concludit, & à querelis per precatorem quiescit: documentum est, nihil esse, quo animus adflicti breuiore compendio pacari queat, quàm ista methodo: videlicet, si inuocato diuino auxilio, bonitati Dei causam & afflictionem suam commendet.

PSALMVS XXXIX.

AD PRÆCINENDVM IEDITHVN, PSALMVS DAVIDIS.

Argumentum huius Psalmi omnino eiusdem est materia, cuius & superior.

Dispositio Psalmi.

Psalmus hic quatuor partes habet. Prima commemorat, quomodo in presentia inimicorum suorum stulerit, doloremq; tacitus presserit. Hoc facit quatuor versibus, 1. 2. 3. & 9.

PRIMA PARS

VERS. I.



IXI, obseruabo vias meas, ne peccem per linguam meam: ponam custodia vice ori meo capistrum, dum coram fuerit impius.

2. Obmutui silentio, silui à bono, & dolor meus conturbatus est,

3. Incaluit cor meum intra me, dum mecum immurmuro, exarsit velut ignitum, loquutus sum per linguam meam.

LECTIO.

Vers. 1.

Capistrum.] Ebr. דַּוָּר. Græc. & Vulg. Lat. hanc vocem non reddiderunt. Hieron. Silentio. Latin. Piscella. Pagn. Clausuram.

Obmutuo